

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus Philosophico-Theologicus

Posewitz, Johann Heinrich

Quedlinburgi, 1660

Caput XI. [IX.]

[urn:nbn:de:bsz:31-128962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128962)

CAPUT XI.

DE DIFFERENTIA.

REGULA I.

Omnia differentia habet sibi oppositam (suo modo) differentiam.

REGULA II.

Differentia non debet esse accidentalis (sux) species.

REGULA III.

De differentiâ non prædicatur (prædicatione naturali & ordinatâ) genus.

REGULA IV.

Differentia (essentialis) debet esse in eodem prædicamento, in quo est id, cuius est differentia.

OBJECTIO.

Accidentia quandoque definiuntur per subjectum quod est substantia v.g. *Tonitru est sonus in nube.* Resp: In eiusmodi descriptionibus non subjectum sed habitudo ad subjectum est differentia, illa habitudo verò non pertinet ad prædicamentum relationis, quia non omnes respectus ut transcendentales, qualis est, quem omne accidens habet ad suum subjectum, in prædicamento relationis collocantur.

REGULA V.

Differentia (entis positivi, ut in se est,) non debet esse negativa.

OBJECTIO.

DELIS describitur quod sit *Essentia infinita, immensa, indivisibilis, &c.* Resp. Hæ differentia non sunt negativæ in se sed saltem quoad verba, & secundum modum significandi.

REGULA VI.

Differentia non reciprocatur cum eo cuius est differentia (divisiva.)

REGULA VII.

Generum diversorum (i. ita ut nec unum sub altero, nec utrumque sub uno tertio summo contineatur, 2. vel si sub uno tertio ut alterutrum, vel 3. utrumque immediate contineatur,) diversa sunt specie differentia, (tam constitutiva quam divisiva.)

Non omnis differentia facit aliud.

OBJECTIO.

IN divinis personæ differunt personalitatibus, at differentiæ personales omninò faciunt alium, & alium, sic alius est Pater, alius est Filius, alius est Sp. S. *Resp.* 1. Non dicitur in *regulâ* quod nulla differentia faciat aliud, sed non omnis, v. g. accidentales quæ non attingunt subjeetorum suorum substantiam. 2. Distinguendum est inter esse *Aliud* & esse *Alium*. Illud aliam naturam. Hoc personam aliam indicat. Unde *Augustinus* in *lib. de fid. c. 3.* ait: *Una est Patris, & Filii, & Sp. S. essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, & aliud Sp. S. quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S.*

CAPUT X.

DE DEFINITIONE.

REG. I.

Definitio constet ex notioribus & prioribus

(naturâ.)

REGULA II.

Definitio nem licet ponere loco definiti, (quando solum res ipsa attenditur, nisi jam tam definitum, vel aliqua pars fuerit posita vel explicitè vel implicitè, & in eadem orationis parte.)

REGULA III.

Definitum (totum) non debet ingredi definitionem (vel expressè, vel consecutivè.)

REGULA IV.

in definitione (perfectâ) ponatur genus proximum (vel intermedie differentie addantur.)

REGULA V.

Unius rei (ut est una) unica est definitio (proprie dicta.)

REGU.